II. Uno modo talis appellatur, si proclamationibus non præmissis: altero si extra præsentiam parochi & testium saltem duorum facta fuerit.

III. De utroque loquitur *Concilium Tridentinum Sess. 24. Cap. 1. de reform.* *

* Quantum ad primum hæc habet: *Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut imposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.*

De secundo ita ait: *qui aliter, quàm præsente parocho vel sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.*

IV. Duo hæc *Concilii Tridentini* decreta breviter pertractare & exponere aggredior. Sit itaque

§. I.

DE DESPONSATIONE OB DEFECTUM PROCLAMATIONUM CLANDESTINA.

NUM. I. Quanquam primis ecclesiæ sæculis numerus impedimentorum matrimonii tantus non fuerit, quan-

quantus hodiedum eſt; extiterunt tamen ſemper aliqua, cum quibus matrimonium aut omnino non conſiſtere, * aut licitè ſaltem iniri non poterat. **

* E. G. nulla erant ab eccleſiæ incunabulis matrimonia cum impedimento cognationis tam legalis, quàm naturalis in quibusdam gradibus; cum illo, quod conditionis vocatur in vulgatis verſibus. Videri eatenus poſſunt leges in corpore juris civilis, quæ tunc ad literam ab eccleſiâ ſervabantur.

** Sic e. g. nunquam licebat fidelibus promiſcuè inire nuptias cum infidelibus 1. *ad Corinthios* 6. *Tertullianus lib.* 2. *ad uxorem per* totum. Ita pariter in Ordinibus ſacris conſtituti nuptiis ſemper prohibebantur.

II. Conveniens ergo quovis tempore fuit, ut via aliqua aut plures earum ad præcavenda invalida & illicita connubia ab eccleſiæ præpoſitis ordinarentur: atque in effectu diverſæ ejusmodi viæ ab antiquiſſimis temporibus ad noſtra usque inventæ, atque in praxi obſervatæ fuerunt.

III. Jam olim nuptialis benedictio deſponſatis non dabatur prius, quàm in eccleſiâ per Sacerdotem parochiæ publicè Scrutinium aliquod factum fuiſſet ſuper eo, an non partes nupturientes impedimento aliquo ligarentur, quo minus invicem conjungi poſſent.

IV. Patet hæc aſſertio *ex libro Sacramentorum*, ſeu ut alii vocant, *Sacramentario S. Gregorii M.* ordinante, ut matrimonium in facie eccleſiæ celebretur, ibidémque à copulandis

benedictio nuptialis per manus presbyteri parochialis accipiatur, postquam ille se prævè informaverit, si non obstaculum aliquod eorum matrimonium impediat. *Author Collat. Paris. de matrimonio tom. 3. lib. 4. Collat. 1. §. 1.*

V. Idem fere legitur in Capitularibus Caroli M. *lib. 7. Cap. 179.* his verbis: *sancitum est, ut publicæ nuptiæ ab his, qui nubere cupiunt, fiant, quia sæpe in nuptiis clam factis gravia peccata accumulantur... sed prius conveniendus est Sacerdos, in cujus parochiâ nuptiæ fieri debent, in Ecclesiâ coram populo, & ibi inquirere unâ cum populo ipse Sacerdos debet, si ejus propinqua sit, an non, aut alterius uxor vel sponsa, vel adultera, & si licita & honesta omnia pariter invenerit, tunc per consilium & benedictionem Sacerdotis & Consultu aliorum bonorum hominum eam sponsare & legitimè dotare debet.*

VI. Diversa aliquantulum est ordinatio *Concilii Florojuliensis* anno 791. prohibentis nuptias furtim raptímque fieri hâc datâ ratione: *ne forte per erroris ignaviam, vel certè quod pejus est, diabolico instigati amore illicita connubia celebrentur; sed interventis pactis sponsalibus per aliquam dilationis moram requisiti, quin etiam diligenti cura vicini vel majores natu loci illius, qui possint scire lineam generationum utrorumque sponsi scilicet vel sponsæ.* Additur posthæc nec sine notitiâ Sacerdotis plebis fieri debere nuptias, & quod observatis omnibus prædictis, si partes deprehendantur eo consanguinitatis gradu se attingere, in quo solet fieri separatio, facultas iis sit ad alia

vota

vota transeundi, filiis ex ejusmodi nullo matrimonio natis existentibus legitimis; quæ omnia contraria essent, siquid ex ante dictis omissum fuerit.

VII. Succedentibus temporibus opportunior adhuc ad detegenda matrimonii impedimenta praxis introducta fuit, * nempe illa matrimoniis futuris publicè in ecclesiâ præmittendi proclamationes, quæ aliàs etiam monitiones ** & à gallis banna *** vocantur.

* Dixi succedentibus temporibus; non enim video, quî illa à Juenino *part. 2. Comment. hist. Dogmat. de Sacramentis pag.* 980. ad prima sæcula referri possit. Certe debilis haberi debet ratio desumpta ex *Tertulliano lib. 2. ad uxorem* scribente: *unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia Conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renuntiant* (hæc postrema verba de proclamationibus intelligenda esse piè magis, quàm fundatè sentiit) *pater ratò habet;* nam præter hoc, quod difficile creditusit, praxin tam utilem adeo antiquam esse, nec tamen in aliquo Concilio generali ante sæculum XIII. pro normâ generali præscriptam fuisse, alium verba citata sensum ex ipso contextu, in quo totis viribus contra matrimonia fidelium cum infidelibus *Tertullianus* agit, commodè patiuntur.

Additio. Ratiocinium mox propositum videtur mihi etiam non leviter pugnare contra ea *Juenini* argumenta, quibus probare nititur, quod usus proclamationum in gallia semper obtinuerit.

** De futuris scilicet nuptiis ad populum in ordine ad revelationem impedimenti forte obstantis iis, qui hìc & nunc volunt copulari.

*** Diversis hujus vocis significationes legere est apud *Gonzalez in Cap. 27. de sponsalibus & matrimoniis, & in Cap. 2. de purgatione Canonicâ.*

VIII. Ad quod autem præcisè tempus prima istius praxeos origo sit referenda, inter doctores non convenit, duo interim circa eandem sunt indubitata.

IX. Primum est, quod jam ante Concilium Lateranense IV. habitum anno 1216. in Galliâ * & Angliâ ** viguerit.

* Elucet hoc non modo ex *Cap.* 27. *de sponsalibus & matrimoniis*, in quo Innocentius III. sic ait: *sane quia contingit interdum, quod aliquibus volentibus contrahere matrimonium, bannis, ut tuis verbis utamur, in ecclesiis SECUNDUM CONSUETUDINEM ECCLESIÆ GALLICANÆ EDITIS*... sed & ex Constitutionibus Synodicis Odonis Episcopi Parisiensis de Sæculo XII. Earum Cap. 7. sic legitur: *Antequam fiat* (matrimonium) *semper tribus dominicis aut tribus festivis diebus æquè distantibus quasi tribus edictis perquirat Sacerdos à populo sub pœnâ excommunicationis de legitimitate sponsi & sponsæ, qui debent conjungi, & ante fidem datam de contrahendo matrimonio, & ante hæc tria edicta nullus audeat aliquo modo matrimonia celebrare.*

** Concilium Londinense de anno 1200. hæc habet: *nec contrahatur aliquod matrimonium sine trinâ denuntiatione publicâ in ecclesiâ.*

X. Alterum est, quod per *Innocentium III. in Concilio Lateranensi IV.* approbata, & toti ecclesiæ latinæ * tanquam lex generalis primum fuerit præscripta, utut non sine omni discrimine. **

* In græcâ nec hodiedum observatur, nec unquam aliàs observata fuit; quanquam non desit in eâ modus vicem denuntiationum supplens: cuilibet nempe græcorum matrimonio multis diebus

ante

ante ejus ſolemnizationem publica in eccleſiis ſponſalia præmittuntur.

** Quippe in eccleſiis particularibus, de quibus antea, numerus & dies faciendarum proclamationum fixus fuerat, ſecus ac in *Concilio Lateran.*, ut adeo ad ejusdem Canoni ſatisfaciendum una proclamatio ſuffeciſſe dicatur à *Tannero* & aliis.

XI. Lapſu temporis tandem ſapientiſſima ordinatio *Conc. Lateran.* in quibusdam diœceſibus per deſuetudinem extra vigorem poſita fuit teſte *Dominico Soto*, revixit tamen iterum per *Conc. Trid. Seſſ. 24. Cap. 1. de reform.*, atque ab ejusdem tempore univerſaliter in eccleſiâ viget.

XII. Imo verò non reſuſcitavit tantum Canonem Lateranenſem S. Trid. Synodus, ſed & expreſſit clariſſimè, quot vicibus, & quandonam proclamationes facere oporteret. *

* Hoc totum fere jam antea apud nos factum fuiſſe patet ex *Concilii provincialis Trevirenſis ſub Balduino glor. mem. Archiepiſcopo* anno 1310. habiti cap. 81. ubi eam in rem hæc leguntur: *Inhibemus igitur, & inhibitum eſſe de jure declaramus, ne ſponſalia vel matrimonium clandeſtinè contrahantur; ſed cum contrahenda fuerint matrimonia, ſacerdotes publicè ter ſcilicet per dies Dominicos vel feſtivos proponant, & proclamationem faciant, in Eccleſiis competenti termino præfinito, ut infra illum, quæ voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat. &c.*

XIII. Ex dictis eruitur proclamationes aliud non eſſe, quàm admonitiones de matrimonio à duobus * contrahendo, & quandoque etiam de contracto ** in Eccleſia *** inter miſ-

ſarum

ſarum ſolennia **** tribus continuis diebus feſtivis ***** à parocho ſponſi & ſponſæ ****** faciendas ad hoc, ut ſiquis impedimenti cujusdam inter contrahere volentes notitiam habeat, illud in tempore revelet. *******

* Ad aſſequendum finem ab Eccleſiâ intentum ita deſcribi debent perſonæ deſponſandæ ut à quovis facile cognoſci poſſint; eâ de causâ ait *rituale noviſſimum Trevirenſe* editum anno 1767 *part. I. pag.* 235. *Nomen, cognomen, pater, mater, patria, conditio, & parochia debent exprimi. Si pater aut mater deceſſerit, de morte patris aut matris fiat mentio, pariter ſi ex deſponſandis alteruter vel uterque ſit viduus id exprimi debet, declarando expreſsè nomen & cognomen defuncti conjugis.*

Additio: Reticendum tamen hic omne illud, per quod bonæ exiſtimationi proximi vel in minimo præjudicari poſſet.

** Per *Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform.* ibi: *quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitiosè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel una tantùm denuntiatio fiat, vel ſaltem parocho & duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur, deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſiâ fiant.*

*** Parochiali utique; quanquam non exiſtimem peccare eum, qui in capellâ aliquâ, ad quam hic & nunc omnes parochiani *ad miſſam parochialem* confluunt (ut ſubinde in feſtivitatibus contingit) matrimonium proclamaret.

**** Hoc requirit litera legis, à qua temerè recedendum noneſt.

***** *Et non aliis diebus* addit *cit. rituale dictâ pag.*, ut adeo pro Diœceſi Trevirenſi diſputari non poſſe opiner, an in magno concurſu populi diebus profeſtis proclamationes facere per miſ-

ſum

ſum ſit, quod licere ſat multi Doctores aſſeruntapud *Barboſam in collect. Doct. in Conc. Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. num.* 23.

Additio 1. Quod requiratur, tres dies feſtivos, quibus proclamationes fiunt, continuos eſſe, eò tendit, ne inter unam & alteram proclamationem tempus conſiderabile intercedat; de cœtero tribus feſtis ſibi immediatè ſuccedentibus omnes proclamationes facere haud licet, ne brevitate temporis eludantur, qui impedimentum aliquod revelare tenentur; prohibeturque hoc expreſsè in *Ordinationibus Archiepiſcopalibus Franciſci Ludovici glor. mem. cap.* 2. §. 28. ubi inhibetur, ne quisquam deinceps ſinè præviis trinis proclamationibus ſive bannis per tres Dominicas vel dies de præcepto feſtivos *interpolatos*, non autem feriales tantum, neque eodem die Dominico vel feſtivo, vel tempore vetito per adventum & quadrageſimam faciendis, vel absque intervallo unius ſaltem diei inter ultimam proclamationem & ipſius matrimonii celebrationem intercedente parochianos ſuos matrimonialiter copulare præſumat.

Additio 2. Quod in mox citato loco de proclamationes tempore vetito non faciendo diſpoſitum eſt, in antefato Rit. novis: non habetur; prohibentur in eoſolum proclamationes diebus paſchæ, pentecoſtes, & nativitatis Domini.

Addit. 3. Si intra 4. Menſes poſt factas proclamationes matrimonium non contrahatur, illæ reperi debent, niſi propter litem ratione alicujus oppoſitionis dilatum fuerit matrimonium. *Idem rituale part. I. pag.* 236.

***** Quod autem illud à Parocho domicilii vel quaſi fieri debeat, communis fert opinio, & ſæpe *cit. rit. pag.* 235. apertè docet, cum is ibidem proprius contrahentium parochus eſſe dicatur, in cujus parochiâ habitant, ita ut, ſi unus vel uterque duo habeat in diſtinctis parochiis domicilia, in quibus ex æquo habitet, in qualibet earum proclamationes fieri debeant.

 Addi-

Additio. Statutum præterea eſt in *mox cit. pag.*, quod incolæ hujus diœceſeos, ſi per ſex integros menſes actu & publicè bonâ fide non fuerint in aliquâ parochiâ commorati, ii vero, qui ex aliâ diœceſi in iſtam transmigrarint, ſi per annum integrum actu & publice bonâ fide in parochiâ, in quâ nubere peroptant, commorati non fuerint, ad matrimonium in eâ celebrandum admittendi non ſint, niſi præviè factis proclamationibus in parochiâ, in quâ hic & nunc habitant, & in eâ, in quâ antea morabantur.

******* Ad hoc ſub gravi peccato adſtringitur, quisquis impedimenti alicujus notitiam habet, non tantum ex virtute religionis & charitatis, quæ ad profanationem Sacramenti & damnum proximi avertendum omnes obligat, ſed & ex præcepto Eccleſiæ; eſtque illud revelationis onus tam ſtrictum, ut ſola evitatio gravis damni proprii & ſubinde etiam alieni, atque ſecretum confeſſionis ab eo excuſent.

Corollaria. 1. Tenentur ergo ad revelandum impedimenta ſibi cognita conſanguinei, & ii, quibus illa ſub lege ſecreti ſunt detecta. Ratio eſt, quia hìc præponderat præceptum Eccleſiæ ex cauſis graviſſimis latum, & quilibet ſaltem ſuperiori præcipienti tenetur detegere peccatum inferens damnum tertio, prout docet *D. Thomas* 2. 2 *q.* 70. *à* 1. *ad* 2. quomodo autem ex omiſsâ denuntiatione impedimenti damnum tertio inferatur, explicat *Sanchez de matrimonio tom. I. lib.* 3. *diſp.* 13. *num.* 5.

Additio. Illud etiam contra *continuatorem prælect. bonorati Teurnely tom.* 14. *pag.* 385. ſentio verum eſſe de eo, qui ex conſilio à ſe petito impedimenti notitiam accepit. Movet me ad ita opinandum tum illud, quod ex D. Thomâ mox dixi, tum hæc ratio, quod hìc non agatur de punitione vel damno alicujus, ſed de peccato vitando, & de eripiendo denuntiatum à morte ſpirituali ſibi imminenti; cúmque vita animæ ſit omnibus rebus

ante-

anteferenda, lex revelandi impedimentum, sícque ruinam spiritualem proximi impediendi tanquam fortior legem de servando secreto naturali debet vincere.

Coroll. 2. Non eximitur quoque à præcepto manifestandi impedimentum, qui illud solus scit per *cap.* 12. *de Sponsal*, cum matrimonium solà depositione unius testis impediri possit, *cujus specialis & vera ratio ut Gonzalez in dict. cap.* ait: *provenit ex animæ periculo, quia videlicet, ut peccatum vitetur, unius etiam testis testimonio fides adhibetur, nam ex unius testis depositione saltem res dubia redditur, cap. jurisjurandi de testibus, in dubio tamen, quod animæ tutius est, sequi debemus. Cap. juvenis. Cap. commissum h. t. ergo rectè ob unius testis depositionem matrimonium impeditur.* Hucusque Gonzalez alia adhuc specialia hac de re ibidem habens.

Additio. Siquis prævideret, testimonium suum sat efficax non futurum ad impediendum matrimonium, adhuc tamen teneretur præcepto revelationis, quia parocho per hoc saltem aperiretur via ad diligenter inquirendum de impedimento, ad retrahendum partes quà monitionibus quâ terroribus, ne matrimonium nulliter aut etiam illicitè tantùm contrahere attentarent.

Coroll. 3. Nec eximitur quis per hoc ab onere manifestationis, quod impedimentum absque partis aut partium diffamatione nequeat revelare. Interim ante omnia hoc in casu pars impedimenti conscia (quod & aliàs ordinariè faciendum) monenda est, ne ad conjugium illicitum progrediatur, aut saltem sibi mediante dispensatione provideat, hâque via sine fructu tentatà res ad parochum deferenda est, ut malo omni meliore modo occurratur.

XIV. Obligatio, quam in parocho producit facta eidem impedimenti manifestatio, exprimitur in *Conc. Trid.* * *Latera-*

nensi ** & distinctissimè in *parte I. pag. 236. rit. novis. Trev.* ***

* *Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expressè, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit argumentis.*

** *Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.*

*** *Si post primam aut alteram denuntiationem fiat aliqua in formâ juris contra matrimonium futurum intercessio, abstineatur à subsequentibus denuntiationibus: si post ultimam fiat, non celebretur matrimonium, nisi qui intercesserint, intercessionem suam infectam faciant servatis servandis, aut nulla à judice declarata sit.* Et paulo post: *si revelatio alicujus impedimenti fiat absque intercessione, parochus expensâ hujus veritate rem totam, si dubitet, ad ordinarium citius deferat, nec ante procedat ulterius, quam ab eo responsum habuerit.* Pro quorum textuum intellectu notandum venit, posse quem impedimentum dupliciter ad parochum deferre, scilicet per viam simplicis revelationis asserendo e. g. nupturientes sibi esse in quarto gradu consanguineos, secundò per viam oppositionis e. g. declarando sibi fidem ab unâ parte primùm datam fuisse, hujusque impletionem à se omnimodè desiderari. Quod si illo modo fiat impedimenti revelatio, parochi est omnia sedulo rimari, & pro re natâ vel ad solemnizationem matrimonii procedere, vel ab eâ se continere, vel denique manente dubio casum ordinario referre; si autem per modum oppositionis in formâ juris fiat impedimenti cujusdam revelatio, ligantur continuo manus parochi, manentque illæ tam diu ligatæ, quamdiu subsistit interjecta oppositio. Ad hanc enervandam aliquando sufficit, quod opponens simpliciter ab interces-

sione

ſione ſuâ diſcedat, aliquando requiritur, opponentem ab interceſſione ſuâ per ſententiam judicis dejici: & poſtremum quidem neceſſarium eſſe opinor, quotiescunque oppoſitio in gratiam Sacramenti facta fuit; ſimplicem autem deſiſtentiam intercedentis ſufficere exiſtimo, ſi oppoſitio pro jure, cui ab homine renuntiari Poteſt, facta fuerit.

Additio: Quid à parocho pro caſu factæ interceſſionis obſervandum ſit, ne ipſe ſuſpectus reddatur, quaſi nuptias malitiosè impedire voluerit, & ne ſemetipſum periculo exponat actionis ob factam oppoſitionem intentandæ, explicat *continuator prælect. theol. honorati Tournely tom.* 14. *pag.* 389. *& ſeq.*

XV. Omiſſio proclamationum, etſi matrimonium non irritet,* ſeveriſſimè tamen tam in contrahentibus, ** quam in parocho aſſiſtente *** vindicatur, niſi deſuper ab aliquo habente poteſtatem illas remittendi fuerit diſpenſatum. ****

* Contrarium cum paucis aliis ſuſtinuit *Menochius ex leg.* 5. *C. de ll.* ubi: *nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente &c.* Conſonat. cap. 64. *de R. I. in* 6. ubi: *quæ contra jus fiunt, debent utiquo pro infectis haberi.* Verum tam diverſus modus loquendi, quo *Conc. Trid.* utitur in decreto de proclamationibus matrimonii & neceſſariâ ad illud præſentiâ parochi & teſtium edito, oſtendit, ad valorem non requiri denuntiationum præmiſſionem; ſed & probatur illud invictè ex declarationibus Cardinalium eâ de re emanatis, quas videre eſt apud farinacium.

** *Primò* per hoc, quod proles ex matrimonio omiſſis bannis contracto nata, ſi illud ob impedimentum quodcunque dirimens nullum ſit, illegitima exiſtat: *ſi quis vero hujusmodi clan-*

 deſtina

destina vel interdicta conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium. Cap. fin. h. t. & interpretes in illud; quod addo, quia textus citatus tantùm de casu agit, quo matrimonium in gradu prohibito nulliter est initum. *Secundò* per ademptionem spei de impetrandâ dispensatione. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 5. de reform.* ratio ibidem subjungitur hæc: *non enim dignus est, qui ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit.* *Tertiò* per impositionem pœnitentiæ juxta Cap. fin. h. t.: *his, qui taliter etiam in gradu concesso copulari præsumunt, condigna pœnitentia injungatur.*

*** Pœnâ suspensionis triennalis ab officio ferendæ sententiæ sœpe cit. cap. fin. in verbis: *sane si parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit.*

Additio. Eadem pœnè verba reperiuntur in supra cit. loco Statutorum sub Balduino editorum.

**** Dispensationem hanc, ut rectè concedatur, justâ causâ niti debere apud omnes in confesso est; quæ autem causa talis sit, perinde non constat. Unam ipsummet assignat *Conc. Trid.* videlicet suspicionem probabilem, ne aliàs matrimonium malitiosè impediatur, nec defuerunt Doctores, qui hanc solam pro justâ causâ dispensandi agnoverint, quanquam contra torrentem aliorum, à quibus passim in censum causarum legitimarum referuntur sequentes.

1*mò* Si Principes & Magnates contrahant, idque ex eâ ratione, quod fama horum matrimonia multo semper tempore ante volet, adeoque impedimentum, si quod adsit, facile detegi valeat.

2*dò*

2dò Evitatio infamiæ e. g. si qui communiter jam habiti pro conjugibus velint contrahere.

3tiò. Si revalidandum sit matrimonium ob latens aliquod impedimentum nulliter in facie ecclesiæ initum.

4tò Angustia temporis, ut si immineret adventus aut quadragesima, nec tamen nuptiæ absque incommodo notabili differri possent.

5tò Periculum gravis damni in bonis fortunæ, famæ, Corporis aut Animæ.

6tò Gravis erubescentia aut pudor ob nimiam ætatis, conditionis, aut fortunæ discrepantiam.

Additio. Sunt adhuc præter recensitas causæ quædam, de quarum legitimitate disputatur. Meretur eatenus legi *Continuator prælect. Theolog. Honorati Tournely tom.* 13. *pag.* 402. *& seqq.*

§. II.

DE DESPONSATIONE CLANDESTINA EX DEFECTU VEL PAROCHI VEL TESTIUM.

NUM. 1. Matrimonia fidelium clam & consensu privatim dato contracta, nullo non tempore ab ecclesia improbata fuisse, Doctores ad h. t. uno ore clamant. *

* Quod jam ante prædicationem legis evangelicæ in nuptiis judæorum atque gentilium quædam intervenerit publicitas, variis argumentis probare nititur *Author. Collat. Paris. tom.* 3. *lib.* 4. *Collat.* 1. videri etiam eâ de re potest *Godefredus in notis ad nov.* 89. *Leonis, & leg.* 7. *Cod. de repudiis.*

II. Veritatem opinionis istius plurima ex Scriptoribus omnium

Sæcu-